





3.  
1783, 20.  
DE  
FINIBVS DISCIPLINAE CAMERALIS  
OECONOMIAE PUBLICAE,  
POLITIAE,  
POLITICES ET STATISTICAE  
REGVNDIS.

P 546.  
COMMENTATIO  
QVAM  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
CAROLVS GOTTL OB ROESSIG

PHILOSOPHIAE DOCTOR, ARTIVM LIBER. MAGISTER

I. V. BACC. ADVOCATVS ELECT. SOCIETATIS LIPSIENSIS OECONOMICAE ET  
APIARIAE LVSATICAE SUPERIORIS MEMBRVM HONORARIVM, NEC NON HASSO  
HOMBVRGICAE PATRIOTICAE CVM REGIA SVECICA QVAE HOLMIAE EST, ET  
BAVARICO PALATINA ELECTORALI BVRGHVSANA MORVM ET OECONOMIAE  
IVNCTAE SOCIVS.

ASSVMTO SOCIO FRATRE  
FRIDERICO GIDEON IOSVA ROESSIG  
MERSEBVRGENSI  
AD DISCEPTANDVM PROPONIT.

D. XIII. AVG. AN. MDCCCLXXXIII.

EX OFFICINA SOMMERIA.



MILITIA DISCIPLINA ECVMERALIS  
OECONOMIAE FABRICAE  
POLITICÆ  
POLITICÆ ET STATISTICS  
REGANDIS

COMMISSARIUS

ACADEMIA LIPSIENSIS

ATLANTIS THYSOGRAPHIA ORDINES

COLLEGIA

CEROPAS GOTTLOR ROSSI

PHYSIQUE DOCTOR ARIAN HERRE MISTER

PHYSIQUE DOCTOR ARRIAN HERRE MISTER

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
FRIEDERICO LVDOVICO WVRMB

DOMINO ET DYNASTAE IN GROSSENVRRA  
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS COMITI CONSISTORIANO  
DEPUTATORVM AD RES ORCORNICAS ET MERCATVRAE DIRECTORI  
ET ORDINIS IMPERIALIS STI JOSEPHI COMMENDATORI etc.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO GOTTHELF  
L. B.  
DE GVTSGHMID

DOMINO ET DYNASTAE IN KLEIN-WOLMSDORF  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE COMITI CONSISTORIANO  
DEPUTATORVM AD RATIONES PVBLIGAS DIRECTORI etc.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
ADOLPHO HENRICO  
S. R. I. COMITI  
DE SCHOENBERG  
DOMINO ET DYNASTAE IN BERTHELDORF  
ET NIEDEROTTENDORF SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE  
COMITI CONSISTORIANO REL.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
DETLEV CAROLO  
S. R. I. COMITI  
DE EINSIEDEL  
DYNASTAE IN WOLKENBURG, EHRENBURG, KAVFVNGEN,  
BRAEVNSDORF, SAATHAYN ET MCKENBERG etc. SER. ELCT.  
SAXONIAE COMITI CONSISTORIANO ORDINIS STI.  
JOANNES EQVITI ET COMMENDATORI IN LAGOW.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

OTTONI FERDINANDO DE LOEBEN

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE COMITI CONSISTORIANO, ORDINIS

STI JOHANNIS EQVITI ET COMMENDATORI DESIGNATO

COMMENDAE SVPLLINGVRG.

ANNA SVPLLINGVRG ATQVE DITATE

TIBUS TE TATTO

MUNIM MULOTIAT

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

FRIEDERICO GOTTLÖB

DE BERLEPSCH

DYNASTAE IN HENNINGSLEBEN ET LEISLAV etc.

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE COLLEGII CVI SVPRE MASACRORVM CVRA

DEMANDATA EST NEC NON CONSISTORII DRESDENSIS PRAESIDI.

ILLUSTRE EXCELSISSIMO  
O P A T R O N I S  
PIE DEVENERANDIS  
HVNCLIBELLVM  
EA QVA PAR EST  
ANIMI SUBMISSIONE ATQVE PIETATE  
OFFERT ET CONSECRAT  
T A N T O R U M N O M I N V M

ILLUSTRE EXCELSISSIMO  
D O N I N D O  
R E G I D E R I C O E C T T O R  
OBSERVANTISSIMVS CVLTOR  
CAROLVS GOTLOB ROESSIG



### C A P . I .

#### *Institutio*.

Cogitanti mihi atque memoria repetenti tempora illa, quibus  
deficiente Philosophiae purioris lumine barbaries quaedam  
quasi tenebris obscurauit disciplinas sane felicissima viden-  
tur ea tempora, quae, in quo philosophiae multum debemus, eas  
dissiparunt. Atque quo grauius hoc est in disciplinis, quaecunque  
etiam sint, eo grauius fane est in his quae in salute ciuitatum, po-  
pulorum gentiumque promouenda occupantur, in his, inquam,  
disciplinis, quae in administranda republica verfantur, quarum  
quasdam finium illarum regundorum causa tractare in animo con-  
stitui. Est id inter alia philosophiae meritum, ut in disciplinis  
tractandis meliorem introduixerit ordinem et aptiorem; at proh  
dolor! in hisce, quae ad rempublicam spectant, disciplinis saepius  
in libellis de iis conscriptis, saepius in ipso rerum vsu eum desidero.  
Cui malo num aliqua ex parte possimus mederi hac disputatione.

A

cula

~~2~~  
cula experiri per vos liceat, qui aliquantum temporis illi tribuere velitis.

Atque omne hoc argumentum quamuis libentissime absolverem, tamen his paucis plagulis plane non comprehendenderem cum diffusum adeo sit tamque late patens ut volumina possint conscribi, si, ut ratio postulat, tractare id velis. Politica mihi occurrit, diuina illa scientia, in qua tantum adhuc abest, ut harum rerum studiosi et intelligentes elaborauerint, ut via degustavisse eam plurimi videantur. Conspicio Oeconomiam status quam dicunt, video illam quae aliunde auget ciuitatis opes, quae ab exterarum gentium diuinitiis quaeftum iustum quidem illum et prudentem facit, quam liceat disciplinam quae aliunde auget reipubl. opes Finance Wifenschaft appellare, quamquam alii hoc nomine insigniant scientiam de redditibus principum augendis. Offert se oculis meis Politia, offert se Disciplina de redditibus principum constituendis, augendis et administrandis, Cameralem quam dicunt, scientiam; occurrit ea quae tractat status seu reipubl. rationem (Raison d'état); Occurrit, quae in iuribus principis populiique ut subiectorum principi versatur, nec non rerum publicarum notitia aliaeque, quas hic omittere temporis ratio suadet. Quo sit ut eligam hoc loco praecipue Disciplinam de redditibus principum constituendis, augendis et administrandis, Disciplinam de redditibus rei publicae ciuitatumque constituendis augendis et administrandis; Politiam, Politicam atque rerum publicarum notitiam. Quarum quoniam fines etiam adhuc nondum satis distincte sunt constituti valdeque potius confusi, elegi illas prae aliis, quas alio forsan tempore tractare licet.

#### C A P. II.

#### *De utilitate et necessitate separationis harum disciplinarum.*

Sunt qui dicant harum disciplinarum a se inuicem seiuenditionem nullius esse in tractandis illis utilitatis, obesse potius et disciplinis et illarum in rebus gerendis viui. Quorum quidem sententi

3

tia licet cum quadam veritatis specie proponatur, cum in primis disciplinarum multiplicationem et difficultates, quae videntur, inde ortas prouocent, tamen non possum adduci, ut credam, eas tanti esse ponderis rationes, ut non separationis utilitate plus accipiat momenti ea, quam sequor, sententia.

At vero in hoc graui argumento, et in via adhuc sentibus impedita; quis est, qui non eo procedat indulgentiae, ut erranti et offendenti veniam concedat? Iam vero ad rem ipsam. Alii quidem fere omnia ad Politicam reuocant, alii politiam et politicam unum idemque putant; alii quidem disciplinam quae in redditibus principis versatur, a politica seiuungunt, eam vero, quae redditus aerarii s. rei publicae tractat, cum illa miscent. Neque hi plane a quarundam ciuitatum institutis desistunt. At facile esse intellectu credo, disciplinas, quas dicimus syniuersales, quae e rerum natura et rationis principiis repetuntur, non ex institutis, sed potius instituta ex illis emendanda esse. Adeat, qui velit libros Lipsi \*) Bodini \*\*) Hofmanni \*\*\*) St. Real, Montesquii \*\*\*\*), Iusti †) Loen ††). Quin etiam alii, qui multis probantur, hic plurima miscent †††).

A 2

At

\*) Iusti Lipsi Politicorum libr. Lips. 1674.

\*\*) Bodini de re publ. libri IV. Par. 1582.

\*\*\*) Hofmanns politische Anmerkungen von der wahren und falschen Staatskunst. Hamburg 1753. ist eine von ihm selbst beforgte vermebrie Uebersetzung seiner Obernrationum singularum de re publ. lib. X. Ultrai 1719. 8.

\*\*\*\*) Des Herrn von St. Real Staatskunst. 1762. und folgende Jahre. 6 Theile 8. Das Original beifst: La Science du Gouvernement par Msr. de Real Aixla Chapelle 1760. 4to. 8. part.

\*\*\*\*\*) Montesquieu de l'esprit des loix und auch in seinen Oeuvres. nouvelle Edit T. I. VI. Amst. 1760. Voll. VI.

†) Iob. Heinrich Gottl. v. Iusti Grundris einer guten Regierung. Frankf. und Leipzig 1759. 8.

††) Loen Entwurf einer Staatskunst 8.

†††) Neque liber ab hoc vitio est Bielefeldus. in libro inscripto Institutions politiques. 1767. 2 Tom. 8.

At quorū haec dispuo nisi etiam utilitatem his disciplinis a separatione venientem et necessitatem inde oītam ostenderem? Possunt omnino disciplinae ad ordinem quo sibi sunt subiectae facilius reuocari ut statim in quo antecedere quelibet alteram debet intelligi possit. Politica in hoc ordine primum locum, secundum oeconomia status, tertium politia, Cameralis disciplina quartum obtinere videtur; statistica denique omnibus his disciplinis materiam praebet largissimam; Quem vero ordinem vir poteris intermissa hac disciplinarum sejunctione constituere. Accedit magnas difficultates et principiis, si ea vnius eiusdemque credideris esse scientiae, contraria ortas ea remoueri, cum eo, quod disciplinae sibi inuicem subiiciuntur, leuius et inferius cedit grauiori et superiori principio. Quin ipsae multum ex eo percipiunt utilitatis et perfectionis disciplinae. Arctius possunt eiusdem principi a cogi et in meliorem ordinem redigi atque aptiorem. Subtilitas in tractando multum ex eo accipit utilitatem et in instituendo et descendendo non parum promouet discipulorum doctorumque industria. Tandem etiam in ipso rerum vnu haud parum afferit utilitatis cum in legibus distinctius ferendis, ordinandis que institutis, interdum continēdāe intra limites despotaie latebras quaerenti inseruit.

### C A P . I I I .

*De Scientia in redditibus principis versante, Cameralem quam dicunt.*

Rerum publicarum ciuitatumque ortum si ex principiis rationis inquisueris vir nec aerarium videtur requiri nec fiscus. Ingunt enim cives se inuicem ut contribuat quisque pro viribus in communem utilitatem ipsi factis suis; neque quisquam in illa simplici et naturali viuendi ratione villam pro labore remunerationem postulat, nec videntur aliae quaedam necessitates fontes, e quibus sustineri possint requirere; quae quamprimum ortae sunt, in commune contribuendum fuit, quidquid fuerit, modo possint eo sustineri. Et pecunia qualiscunque etiam materia hunc adquisiverit sibi valorem, introducta, maior videtur orta esse necessitas contribuen-

5

tribuenda illius ad consequendum id, quo indiquerunt. Ex eo tempore unus in primis ex quo repeterentur necessaria fons fuit, qui nunc aerarii nunc fisci i. Camarae \*) nomine venit, ex quo maior aut principis aut populi esset auctoritas. Germanorum quidem, quin aliarum ciuitatum, in primis quae imperium vni mandarunt, si velis inquirere historiam saepius camerae mentionem quam aerarii deprehendes, praesertim vetera tempora spectans: Est ea antiquitatis germanicae, quin multarum adhuc prouinciarum ratio ut Camera sit redditum principis praecipuus fons, et tributa non nisi in subsidium vocata videantur. Neque tamen defunt prouinciae in quibus pari iure ambulent, in quibusdam aerarium Camerae anteponitur, in aliis tertius accedit fons, militare scilicet aerarium. At aberrare longissime a proposito, si, quae ad ius Germanorum Camerale pertinent, ea huc transferrem, vbi de disciplinae Cameralis finibus disputo. Prius vero quam vterius progredimur, necesse est, vt veram disciplinae notionem euoluamus. Etenim ex eo non parum difficultatis et disceptationis oriatur. Multi in eo errant, quod scientiam s. disciplinam cameralem, Ius cameral et instituta Cameralia, sit venia verbis, inter se miscant. Ex eo illae querelae in tractandis ipsis negotiis disciplinae principia saepius ab ipso rerum usu adeo differre ut vix unum aut alterum possit in succum et sanguinem quod dicunt convertere. Distinguenda itaque primum est, disciplina cameralis quae versatur in aperiendis redditum principis fontibus fundamentisque eorum ponendis, nec non in augendis iis et administrandis compendiisque ad reipubl. salutem eorum rationibus. Quae quidem non continent instituta unius reipublicae, sed normam e qua hauriri instituta omnium ciuitatum et ad quam conformari possint. Huius regulae petuntur e natura fisci principis seu camerae, quam

A 3

vocem

\*) Camerae verbo eo libentius viror, quam fisci, sicut elegantiae param respondeat, quo minus detrimentum e doctrina iuris civilis de fisco enatum est principum germanicorum iuribus regius, quod ostenderunt Griebnerus et Rechenbergius in dissertationibus de praedictio principum Germaniae ex abusu iuris Romani.

vocem licet barbara sit, condonare velis ne ex verborum elegancia rerum barbaries oriatur. Petuntur porro e rationibus Cameræ ad rem publicam iuraque et partes illius, atque ex eius rationibus ad communem utilitatem salutemque publicam. Possem quidem addere regulas ab institutis rerum publicarum inter se collatis desuntas. At haec potius potest appellari scientia cameræ communis positiva, quam dicunt, quae continet regulas ab institutis omnium s. plerarumque rerum publicarum legibusque latis desuntas. Differt ab hisce Ius Camerale, quod legum in rebus et negotiis Cameralibus in republ. latarnum est complexus. ~~Est~~ Hoc iterum vel commune, s. speciale, specialissimum, quilibet intelligit. Illud omnium s. plurimarum ciuitatum leges de redditibus principum latas continet, hoc quarundam s. vnius, plures in se complectentes, atque postremum vnius reipubl. aut prouinciae continent iura buc spectantia.

Nequo vero cum iure Camerali confundendus est ille Institutorum Cameralium complexus e legibus de Camera latis enatorum, quem *Cammerverfassung*, licet appellare. Triplicem etiam esse eum, quilibet facile conjectura affequi potest. Apparet ex his, que diximus quantum ordinis desit plerisque de his rebus scriptis libellis, qui parum aut numquam distinguunt scientiam Cameralem a iure camerali et institutis cameralibus.

Iam vero, credo, facile posse definiri in quo continetur disciplina cameralis. Fontes primum inquirit e quibus principis hauriri possunt redditus, deinde iusfitiam et prudentiam in constituendis, augendis et administrandis illis; qui quoniam in iuribus regiis utilibus consistunt, debent enim principi praestare redditus, aut in tributis principi sustentando indicis aut aliis rebus usum facile praestantibus modo publica salus detrimenti nihil patiatur, commode deprehendantur, facile est intellectu, inquirere illam disciplinam natu ram Cameræ iuriumque regiorum utilium, res in quibus versantur, sapientem eorum ac prudentem administrationem, augmenta illorum et rationes prudentes adhibendi redditus. Pertinet ad illam consti-

constitutio fisci interna, doctrina de dispositione de redditibus Cammerae in futurum facta quam Cammeretat vocant, licet quidam etiam dispositionem de praeterito hoc nomine insignire velint, rationes erga alia ad moderandum regimen instituta collegia, e.q.s.r.

C A P. IV.

*De oeconomia publica s. oeconomia status; quam dicunt.*

Oeconomiam reipublicae s. ciuitatis, quam Oeconomiam status barbare dicunt, quidam non sciungunt a disciplina, quae in redditibus principis versatur, camerali scilicet; omnes fere utramque miscent, miscent non sine quodam et disciplinae et reipublicae detimento. Orta in primis videtur haec confusio partim ex eo quod ex rationibus iurispublici vniuersalis posita pecunia unus tantum videtur fons requiri, partim, quoniam ex institutis et rerum usu, qui de ea re scripferi, plerunque elicunt disciplinae principia. Nam vero difficile est, in ea, quae ab antiquissimis inde temporibus obtinet, confusione distinguere Cameram ab aerario. Sciungere rerum ordo et principis, reique publicae salus postulare videtur. Sane rationes vtriusque facilius possunt constitui ac reddi, potest cohiberi facilius illa legibus se ipsam solvens potestas, quam cum in imperante tum in proceribus reipubl. comprehendere interdum possumus. Quin etiam cum ex plurimarum ciuitatum institutis multum saepius differat, quid principis et quid reipubl. interfit, facilius id componi hac distinctione et rerum et disciplinarum potest. At vero quoniam oeconomia status cum aerario rem habet, patet, eam versari in constituendo illo augendo et administrando iuste atque prudenter. Sunt haec tria, quibus comprehendere facile poteris omnia. Pertinere hoc primum videtur, ut inquirat disciplina oeconomiae publicae in naturam aerarii inque illius constitutionem firmissimam; deinde quoniam e iuribus regis etiam ciuitatis redditus possunt, ea, quae maiestatis naturam constituant atque e quibus aliquid possit elici frumentum et emolumenti ad aerarium, sane enim arctissime cum eo iuncta

iuncta sunt, eamque disciplinam, quae in eo versatur, referre, necesse est. De rei publicae bonis agrisque et fundis disquirit, tractat argumentum de tributis prudenter colligendis ne princeps nec respubl. aliquid detrimenti capiat. Terras occupat atque provincias bello paceque partas, quoniam impensae in militiam factae ab aerario proficiscuntur, militesque partem ciuium constituant: Quae etiam in omnibus rebus publ singula par modo non adhibeantur, tamen disciplina oeconomiae publicae omnia debet comprehendere, quae quidem omnibus rerum publ formis consulere debet; ita vt illarum administratoribus eorumque prudentiae relinquatur, quod optimum ciuitati ducunt, eligere. Interdum etiam iura regia, quae facta talia sunt, et accidentalia vulgo nominantur, si quae a Camera relicta sunt aerario, sibi sumit. Tandem referuntur ad nostram disciplinam etiam illa, quae aerario veniunt, e pecuniae circuitu *Geldumlauf*, atque ex auctis eo populi prouinciaeque diuitiis, cum eo plus abundet civitas copiis et opibus, quo saepius per annum seu tempus quadam pecunia cursum repetit, ea tamen ratione vt quilibet in celeri hoc circulo percipiat ex ea aliquid utilitatis nec absque omni emolumento illa e manibus exeat s. potius euoleat. Nec minor est oeconomiae publicae fons, publica illa fides, quae nisi maximas, quandiu firma est, superat saepe opes, certe illis aequiparanda; et certissimos saepe reditus praefstat. Porro tractat regulas, quas prudentia praecepit in constitutis aperiendisque fontibus, in iisque deriuandis et digerendis. Inde in disciplina de oeconomia publica agitur de modo administrandorum reddituum, eorumque in rationes referendorum, de iis quae in iuribus regiis ad naturam maiestatis pertinentibus nec non facto ad aerarium relatis exercendis consumuntur; agitur de impensis in militiam in bella et in omnes, quae arma concernunt, causas, nec non in legationes ceterasque reipubl necessitates prudenter collocandis. Denique omnia hic referenda sunt, quae contribuunt in administrandis iuribus regiis et in expensis factis ex aerario ea de causa, vt promoueat pecuniae circulus et quae faciunt ad augendas ciuium opes, vtque ex ipsis aerarii expensis veniant noui reditus. Vellem sane vt possim

9

possem prouocare e Bibliothecis Scriptorem qui praestitisset, quod postulo. Neminem noui qui haec omnia in uno congregauerit, ita ut possit disciplina oeconomiae publicae omnibus obsoluta partibus conscripta dici, licet inueniantur particulae interdum vndeque dissipatae. Incurrit hanc notam Stewartus<sup>\*)</sup>, et Mortimer<sup>\*\*)</sup>; Castillonius, Iusti<sup>\*\*\*</sup>, Schmit, Iung, quorum libri noti sunt, nec non illi qui a partibus Quesnai stant, et nomine Physiocraticorum innotuerunt<sup>\*\*\*\*</sup>), qui licet oeconomiam publicam ad simplicitatem naturae reuocare studeant, vereor tamen ut vix con sequantur, quod optant, cum instituta ciuitatum nostrarum adeo sint inter se neta et distorta, ut in ordinem redigere et ad simplicem naturam reuocare iis, quea fieri haud possunt, fere adnumerandum sit, nisi omnes gentes in hoc ipsum conseruent; nam genti reliquis dissentientibus id audere neutiquam suaserim.

CAP. V.

*De Politia.*

Multi sane in Politiae notione elaborare studuerunt, paucissimi tamen feliciter. Quidam a veterum rebus publicis politiae notionem repetunt; facile omnia in administranda ciuitate principia hi politiae tribuunt, quoniam a veteribus omnis administran-

<sup>\*)</sup> Dan. Stewart's Inquiry into the principles of political oeconomy 1767 Lond. 4 II vol. teutsch 1768 Hamburg III. B. 4. 1769 — 72. Tübingen. IV. B. gt. 8.

<sup>\*\*)</sup>  Mortimer Elements of Commerce Politics and Finances 1773. London 4.

<sup>\*\*\*)</sup>  I. H. G. von Iusti *Staatswirtschaft etc.* 1753. Leipzig verbessert 1759. II. B. Ebend. *System des Finanz-Wesens* 1766, Halle. 4.

<sup>\*\*\*\*)</sup> Disciplinam eorum nostra aerata imprimis le Trosne illustrare studuit, quem in vernacula translatis Wichmannus. Inscriftus liber. De l'ordre social. Ouvrage suivi d'un traité élémentaire sur la Valeur, l'argent, la circulation, l'industrie et le commerce intérieur et extérieur par Msr. le Trosne, ancien avocat du Roi et Conseiller honoraire au Préfidal d'Orléans. à Paris 1777.

nistrandi imperii ratio omneque institutum publicum ea comprehendetur. Miscent hi ius publicum, politicam, rationem statutus, quam dicunt, et nescio quae alia, non sine magno harum rerum detimento. Seiungere recentiores quidem ea tentauerunt, at rectam vbiique viam haud ingressi, saepius miscent quadrata rotundis. Multum fane in hoc Dithmaro<sup>\*)</sup>, Schreber<sup>\*\*)</sup> Dariesio, Succouie<sup>\*\*\*</sup> (, Iusti<sup>\*\*\*\*</sup>) Berchio†), et a Sonnenfels ††), in primis vero Illustri viro ab Hohenthal †††), debet Politia. In causa absque dubio erat Philosophiae in his, qui eam tractarunt defectus, errores a maioribus commissi, dum omnes ad rem publicam pertinentes causas disciplinasque miscerent. Vocabuli Politiae apud maiores inde enata nimis lata significatio. Neque minori fuit detimento, quod haec fere omnia solo vsu continerentur et absoluarentur, neque ad disciplinae subtilitatem facile revocarentur; vaga tandem Politiae significatio, quae etiam hodie aliqua ex parte impedimento est. Nunc enim dicimus: gaudet haec prouincia bene ac recte instituta politia; nunc: docemus politiam; nunc: pertinet hoc ad politiam. In qualibet propositione aliud significat Politiae vocabulum. In priori enim nunc intelligimus instituta Politiae eorumque complexum, nunc leges politiae. In altera significat Politia disciplinam scientiam, quae aut libris continetur, aut in cathedra proponitur; et in tertia tandem magistratum praecipue intelligimus politiam administrantem. Quae quoniam a plurimis ius rei scriptoribus mixta sunt, factum est, ut quilibet fere aliam

Politi-

<sup>\*)</sup> Dürbmar *Einleitung in die Oekonomischen, Polizey und Kammerwissenschaften mit Anmerkungen v. D. G. Schreber Leipzig 1769.* 8.

<sup>\*\*) Schrebers Polizey des Ackerbaues. 1770. 8.</sup>

<sup>\*\*\*</sup> Succovs Kammerwissenschaften nach dem Grundriss des G. R. Daries. <sup>\*\*\*\*</sup> Berchius *Einleitung zur allgemeinen Haushaltung aus dem Schwedischen übersetz v. Schreber. Halle, 1763.*

<sup>†) v. Iusti Polizey Wissenschaften 2. B. 40.</sup>

<sup>††) Sonnenfels Grundsätze der Polizey. 1770.</sup>

<sup>†††) ab Hohenthal de Politia 1776. 8.</sup>

<sup>††††) Incurrit hoc vitium etiam L. B. a Pfeiffer in nouissimo suo de Politia scripto opere.</sup>

II

Politiae notionem eligeret. Praecipuos tantum prouocare liceat autores. Non contemnendus harum rerum scriptor Iusti\*) demandat politiae interiorem reipubl. constitutionem ad eum finem ut ea publicae copiae opeisque ciuitatis et seruentur et augeantur, salusque publica promoueatur.

At quis non eodem iure Politicam hic aliqua ex parte deprehendat? Illustris Moserus\*\*) quem magni facio, sub politia iura et officia intelligit regalia ac instituta ex illis proficiscentia eo spectantia ut ciuium mores externi in societate et vsu quotidiano ordinentur seruenturque, nec non salus externa hanc vitam speclans promoueatur. At nonne eodem iure omnis legislatoria potestas, summa iurisdictio, aliqua iura regia hue possunt revocari? Illustris Pütteri \*\*\*) vir non minus aetimandus, curam ipsi tribuit auertendi ab interna reipubl. constitutione mala in commune metuenda. Sane aliquam attulit politiae virtutem, ab aliis non ita notatam. Omitto Succouii\*\*\*\*), de la Mare \*\*\*\*\*), Dariesii †) Loenii ††), Willebrandi †††), Boernerii ††††), aliorumque de ea sententias. Schreberum tantum prouoco et illustrem ab Hohen-thal, quorum ille praecipue negotia oeconomica urbana et rustica politiae subiicit, atque politiam ordinem in republ. definit in negotiis oeconomicis vrbis rurisque. Illustris L. B. ab Hohen-thal vero complexum mediorum legum et institutorum saluti publicae et felicitati externae ciuium inservientem definit eam. Iam quae mea sit de Politia sententia liceat dicere, quam in singulari de ea re-

\*) Von Iusti *Polizeywissenschaften*, 2. B. 4to.

\*\*) Mofer von der Landeshoheit in *Polizeysachen Erf. und Leipz.* 1773.

\*\*\*) Pütteri *Institutiones* I. P. G. p. 350. ed. 1776.

\*\*\*\*) Die *Kammeralwissenschaften nach dem Grundriss des G. R. Daries von L. I. D. Sakkow* 1767. p. 219.

\*\*\*\*\*) Traité de la police amst. 1729. 4. T. fol.

†) I. G. Daries *Erste Gründe der Kammeralwissenschaft*, 1756. Iena, und 1758. 8.

††) Loen *Verbesserung der menschl. Gesellschaft* 1750. 8.

†††) Abregé de la Police par I. P. Willebrandt 1763.

††††) Boernerii *sämtliche Kammeralbücher*, Halle. 1773. 8.

D 34

libello proposui et ex ipsa rei natura, nec non sermonis visu de-  
riuare studui \*). Omnes quidem quae in re publica admini-  
stranda versantur disciplinae ad instituta rei publicae saluberrima,  
salutemque ciuitatum spectant. Politia etiam in his occu-  
patur, verum in quibusdam tantum causis, non ad alios discipli-  
nas politicas pertinentes. Ius publicum vniuersale quod dicunt sibi  
sumunt quaectiones de iure imperii, aut de iuribus imperantis erga  
populum et subditos populiisque erga principem. Politica occupa-  
vit prudentiam in administrandis iuribus regiis. Quid tandem Po-  
litiae relinquitur? cura reipubl. in iis causis, in quibus reliquae  
disciplinae eam haud curant. At quae sunt eae? Cura publicae  
securitatis et commoditatis quantum institutis promouetur, turbatio  
que illius impeditur salvo iustitiae iure et imperio; Cura multitudinis  
ciuium quae quoniam ad iura regia quae regalia vocant,  
non pertinet, atque cum negotiis oeconomicis arctissimo nexu iun-  
gitur, huc pertinens videtur. Cura morum ciuium, cura ordinis  
in negotiis oeconomicis. Est itaque ex mea sententia politia ea  
disciplina, quae continet principia ordinis in republ. ratione habita  
commoditatis vitae securitatisque publicae quantum quidem vtra-  
que institutis seruatur et promouetur, habita deinde ratione mul-  
titudinis ciuium morumque eorum nec non negotiorum oecono-  
micorum tam vrbis quam ruris ad promouendam internam reipubl.  
salutem. Quam quidem notionem credo posse superiori ac inferiori  
politiai applicari, nec non politiae vrbis atque pagorum vil-  
larumque. Quin etiam sufficere videtur ad discernendam politiam  
ab omnibus aliis disciplinis ad rem publ. pertinentibus, nec  
non a iustitia \*\*); quae quidem vterius explicui in libello supra di-  
to.

\* ) Versuche über die oekonomische Polizei von K. G. Rüsing Leipzig. 1779. 8.

\*\*) Traçarunt multi hoc argumentum. Schreiberus in Diff. de causa-  
rum politiae et earum quae iustitiae dicuntur confidit et differentia.  
Götting 1739. Strube von Regierung und Iustitienachen. Rechenberg  
pogr. de politiae et iurisdictionis terminis accuratius designandis. Lips.  
1739. I. G. Daries de differentia iurisprudentiae atque politiae. 1763.  
Frfr. ad Viadr. C. 14 Hommelii progr. de diff. caesar. iustitiae et poli-  
tiae. L. 1770.

~~Etio~~<sup>\*)</sup>. Est scilicet Politia illa tam suprema, quam inferior. Supremam dico eam quae in omnes Politiae causas in tota re publ. inspicit, quam etiam possit regis annumerare iuribus. At quoniam princeps si eum ad sibi subiectos referas, in causis quae ad politiam pertinent, et quod iustitiae et quod prudentiae est, sequi debet, nam quod iustum inter ciues est, non pertinet ad politiam sed ad iustitiam ciuilem, Politia mixtis disciplinis adnumeranda et a iure publ. et politica merito distinguenda; cum in iure publico solum iustum, in Politica sola prudentia consideratur. Inferior vero est quam exercet quilibet magistratus intra terminos ipsi praescriptos, urbis aut villae pagique. Possem etiam alias afferre diuisiones aut ab extensione ratione locorum aut negotiorum defunctas, at non disciplinam politiae scribere sed fines tantum illius designare in animo est.

### C A P . V I .

*De notitia rerum publ. statisticam quam vocant.*

Rerum publicarum notitiam quam alio nomine statisticam appellant, quae in inquirendis rebus ciuitatum memoratu dignissimis versatur, quibus finibus circumscribatur, et quo referri debeat, vix consentiunt harum rerum studiosi et intelligentes. Et licet Achenwallii in ea deducenda et describenda partes sequar, tamen quaedam ipsi in hac re viro graui et minime contemnendo videntur effugisse, quae hic accuratius definienda sunt. <sup>1)</sup> Rerum notatu dignissimarum seriem absque dubio incipit historia ciuitatis s. reipubl. non quidem ea quae omnes res gestas recenset, sed ea potius quae ciuitatis ortum, augmenta, vires sensim sensimque crescentes spectant, quae lucem diffundunt, qua ratione ciuitas

B 3

ad

\*.) Versuche über die oekonomische Polizey etc. von K. G. Rüsig, Leipzig. 1779. §. S. 10.

\*\*) Non absque ratione vocabuli barbariem vrgent quidam, eadem ratione dicentes, pro Genealogia dici posse Natisticam.

■ ■ ■

ad eam magnitudinem potentiamque, qua gaudet, peruenit, neque omittendae hoc loco sunt sapientia prudentiaque imperantium, media quibus id perficerint praecipua. Breui omnia quae effecerunt, ut res publica sit ea quam contemplamur. 2) Sane nihil rei convenientius est, cognita ciuitatis origine progressuque terrarum conditionem inquirere, sive Geographiam quam Statisticam liceat dicere ut a Geographia mathematica et scholastica discernatur. Est ea quae rationes habet ad rem publicam eiusque gubernationem ipsam sine medio, quae principi usque qui ipsi sunt a consilis in primis curanda. Neque enim quodlibet oppidulum aut villa quam omittere non potest Geographia Scholae, pertinet ad Geographiam nostram statisticam sive politicam. Huius interest in primis scire eas regiones quae ad frugum fructuumque vberatem et copias, quae ad ciuium multitudinem ad mercatura et fabricarum rationes pertinent. Inde fit vt e Geographia scholae ea tantum loca villaque quae in his rebus eminent huc transferantur.

Iam vero liceat partes huius Geographiae statisticae se iungere,

a) Sciamus necesse est, quo tempore qualibet particula ciuitatis cum terra principe iuncta sit, hoc memoriae mandat Geographia historica, prouinciarum illius singularium breuem historiam continet; historicam hanc partem licet appellare.

b) Coeli ingenium, situm terrae et quantum vtrumque in vberatem frugumque praestantiam, in homines seu ciues, in armamenta pecudesque, in sanitatem, et robur influat inquirere est pars Physicae, quae et considerat flumina, et montes; terrarum magnitudo finesque Mathematicae partis sunt quae illi iungi potest.

c) Neque minoris ponderis est Oeconomica Geographia, quae naturam agri terraeque ostendit, quae in cultu eiusque vi atque perfectione in vberate et sterilitate in fluminum montiumque conditione oeconomica inquirenda versatur.

d) Tandem accedit publica Geographia seu Geographia iuris publici, quae iura tractat quibus prouinciae ad principem terram pertinent, quae sunt illarum inter se rationes, quomodo gubernationis

tionis atque regiminis causa diuiduntur; — aliaque regiminis causa facta geographicā instituta.

3) Cognita ciuitatis Geographia statistica ad ea progredi licet quae natura aut arte et industria proueniunt. Considerantur in ea parte doctrinae fruges fructusque agrorum, porro arte produc̄ta, manu aut igne ferroque exhibito confecta, quae e terra, e fluminibus aut montibus aut aere proueniunt, quam partem doctrinam de naturae artisque et industriae productis nominamus.

4) Neque minus notatu dignum est, seire mercatum gentis atque ciuitatis commercia, quae vtrum aut ditent rempublicam an iis amittat, inquirendum, quae inuehat ex aliis regionibus, quae de suis euehat, quibusque solum securum et commodum transi-  
tum praestet.

5) Conuertit se haec disciplina ab agro ad ciues incolasque, multitudinem, ingenium, mores, facultates, industriam, artesque quibus celebrantur, merita de litteris artibusque, breui omnia quae conditionem ciuium concernunt, occupat.

6) Iam statum publicum aggreditur qui plures comprehendit partes; cuius prima est. a) Ipsum ius publicum, seu complexus legum publicarum quibus iura et officia imperantis et populi inter se nec non imperantis erga subditos definiuntur. b) Instituta publica seu politica, *Eigentliche Staatsverfassung*, quae etiam nomine status publici insignire possit. Plerumque haec cum institutis ad exercendum regimen (*Regierungsverfassung*) miscentur. In eo vero potius versantur quae iura veraeque rationes imperantis erga populum, subiectosque illi concernunt. Ita in hoc capite quae iura sint principis, quae sint populi, quae vterque coniunctim exercet, quae uniuicuque seruata soli sint; tituli tandem, honores, et arma. Differt ab hac parte notitiae status publici, ea, quae instituta regiminis exercendi causa facta continet quam *Regierungsverfassung* appellare possumus. Traçtat ea ipsa iurum maiestoricorum administrandi rationem, collegia huic fini inferuentia, eorum rationes inter se, coniunctionem, modum cau-  
fas

fas tractandi, ordinem inter ipsa collegia. Inter haec instituta referenda etiam sunt, quae ad excitandum praemia sunt proposita meritis, promouetur enim illis ipsa administratio.

7) Segungi possunt ab his quae ad administrandam iustitiam pertinent, quae ad leges priuatas, causasque tractandi modum spectant. Neque omittenda sunt

8) Quae Politiam concernunt, quae plerumque omittuntur ab iis qui has res tractant. Non solum leges politiae praecipuas, *Polizeyrecht*, sed etiam Instituta illius (*Polizeyverfassung*) breuemque eorum conspectum praebet.

9) Quae vero oeconomiam priuatam inquirit, omittere neutiquam potest oeconomiam publicam, tam principis quam ipsius reipubl. Quot sint fontes, quomodo differant quid cuique commissum? e. c.

10) At non sufficit nosse internam rei publicae conditionem, rationes etiam erga alias gentes iuridicas pacto aut alio modo ortas inquirit. Ius publicum, inquam, externum, quod iura reipubl. erga alias ciuitates gentesque nec non obligationes continet, iura quibus gaudet praecipua in legationibus in signis honoris terra marique, foedera cum aliis sancta. e. c. quae pars videtur ab omnibus fere praetermissa. In notitia rerum publ. s. prouinciarum germanicarum accidunt rationes prouinciarum erga reliquas. Nolim hanc huius discipline partem cum ea misceri, quae ultima est

11) Ratio status (*Raison d'Etat Staatsinteresse*) dicta, quae breui comprehendit ea, quae intersunt cuique rei publ. ad quae conformare exercitium iurorum regiorum imperans, iisque qui sunt ipsi a consilio, debent. Quae iterum in internam et externam diuiditur, quarum prior internam reipl. conditionem, posterior externam s. potius rationes erga ceteras gentes politicas concernit, cautions in malis ab illis venientibus auertendis, regulas prudentiae e vitiis illarum quaestum facientis, pondusque et auctoritatem in gentium negotiis sibi tribuendi facultatem.

CAP.

*De Politica eiusque finibus.*

Politica quam varie intelligitur vix dici potest; Est huius discipline haec fors ut plurimi, qui de ea scripsere, a recta aberrant via. Est tamen illa disciplina quae descendisse de coelo videatur, ut gentes beat non ut eas periculis et malis obruat quod e plurimorum principiis fieri necesse est, qui vera omissa falsam et perditam sequuntur. Quidam non nisi artes nocendi aliorumque felicitatem substruendi ad eam referunt, at hi, si optimi de iis sentias miscent sine dubio cum hac falsa politica media auertendi mala ab aliis sibi parata; alii omnia ad rem publicam pertinentes disciplinas ut supra iam monui sub politicae voce comprehendunt. Longus essem omnes, quas politices proposuerunt definitiones referre in animo haberem, Haufenii describere necesse esset libellum quem de fatis politices apud gentes compositum.<sup>\*)</sup> Hertii<sup>\*\*)</sup>) Hanoviensis<sup>\*\*\*)</sup> Bielefeldii<sup>\*\*\*\*)</sup> St. Real<sup>††)</sup> Hofmanni<sup>††)</sup> aliorumque adeundi essent libri. Ex Achenwalli<sup>†††)</sup> sententia Politica ea est disciplina quae media ad consequendos rei publ. fines aptissima praecipit, quae quidem notio licet optima hucusque omnium sit et reliquis accurasier, tamen videtur potius conuenire disciplinae de Ratione status, quam ipsi politicae. Evidem nimis vagam esse credo hanc definitionem. Comprehendere enim Politiam, rationem status et Oeconomiam publicam breui: omnes, quae rem publicam concernunt, disciplinas sub ea licet. Meam si sententiam dicere et explicare permisum, in eo consistit.

<sup>\*)</sup> Haufen de fatis studii politici ap. Gentes usque ad Sec. XVII. Lips. 1763.

<sup>\*\*) Hertii Elementa prudentiae civilis 1712. 8.</sup>

<sup>\*\*\*) Hanovi Philosophae civilis s. politices partes IV. Halae 1756.</sup>

<sup>\*\*\*\*) l. c. ††) l. c.</sup>

<sup>†††) Gotifried Achenvals Staatsklugheit nach ihren ersten Grundsätzen 4te Auflage 1779. p. 3. §. 6. u. 7.</sup>

sistit. In administranda re publica quaestio de iustitia ab ea de sapientia prudentiaque distinguenda est. In priori versatur Ius publicum vniuersale et ciuitatis, quod naturam maiestatis iuraque regia, quibus consicitur, iura imperantis in populum et in subiectos principi et populi erga principem iustumque in exercendis his iuribus concernit. Altera vero quaestio de sapientia s. potius prudentia in administrando politicae relata est. Acuratius itaque illam definire credo, si eam esse dixerim scientiam, quae media tractat aptissima ad finem rei publicae prudenti administratione iurium regiorum naturam maiestatis constituentium consequendum. Cum contra Ius publicum vniuersale sit disciplina quae finem rei publ. iusta administratione iurium regiorum, quae maiestatem constituant, consequi docet. Quam definitionem esse veram atque e rei natura deductam, quilibet facile intelligit, cum imperantium actiones partim ex iusti et aequi partim ex sapientiae prudentiaeque regulis considerari possint; in iusti contemplatione autem verletur Ius publicum, sequitur absque omni dubio prudentiam in his actionibus politicae rehclam esse. Ex quo patet Politicae finem esse felicitatem reipubl. externam prudentia in gubernando partam, iuris publici autem in felicitate iusto regiorum iurium exercitio positum esse. Tractat itaque Politica regia iura eorumque sapientem et prudentem usum. Inquit vero ante omnia formam rei publicae et quae sit optima, defectus cuiuslibet et virtutes ponderat, illos remouere, has colligere et augere fludet; Prudentiam in ferendis legibus, in administranda iustitia et iure circa sacra, in exercendo iure belli, pacis, foederum, legationum, Ius supremae inspectionis, ne quid detrimenti capiat res publica, quod caue cum Politia, ne confundas, cum hoc ius rei publicae summam salutem s. eas causas concernit, in quibus publicae saluti cedat necesse est priuatorum salus.

Etenim e senioribus disciplinae principiis iungenda est privata salus publicae, eaque in ciuitate firmior fieri debet et magis secura. E prioribus itaque patet exulare e politicae finibus omnem de regiis iuribus ad Cameram principis reuocatis quaestionem; non

~~12~~

non enim ad iura regia, quae naturam maiestatis constituant pertinent iura, ipsi tributa; sed ad ea, quae factio sunt talia. Exulare porro e politica omnia, quae ad iura regia naturam maiestatis constituentia haud pertinent, exulare e politica omne de multititudine ciuium argumentum, quod ad politiam scilicet pertinet, etiam si fere ab omnibus ad Politicam referri scio. Iuncta etiam arctior est multitudinis ciuium cura cum cura de negotiis oeconomicis vrbis rurisque, de opibus diuitiisque ciuium, de cultu terrae, de salubritate locorum coelique. Politica potius in politiae cura fundat prudentiam in exercendis iuribus regiis; multitudem expeditat a Politia, ne uitiam vero ipsam sibi sine medio comparat. Pari iure politica et finibus suis remouet curam mercatus interni inter subditos sumit sibi tantum curam commerciorum cum gentibus. At reliqua in systemate Politices scribendo ulterius persequar.

### C A P. V I I I.

*Collatae inter se disciplinae, dissidiaque quaedam praecipua quantum breui fieri potest, composita.*

Imperio quasi cuiusvis disciplinae et nature cognita proprius iam ad regundos fines quosdam praecipue dubios, dissidiaque componenda accedamus. Principia iuris publ. vniuersalis, quae posita semel pecunia vnum tantum fontem ex quo omnia hauriuntur, aperiunt, cameram ab aerario haud sejungunt. At prudenter suadet distinguere; facta vero semel distinctione ex utriusque natura, quae camerae quae aerario nec non quae disciplinis alterutrum spectantibus tribuenda sint, quaerendum. Quo facto facile est intellectu ad cameralem disciplinam pertinere omnia iura utilia regis redditusque omnes principi tamquam principi concessi. Quae vero reipubl. necessitatibus excepto principe inferiunt, oeconomiae publicae esse tribuenda. At fin accuratius definitum, quae ad alterutram debeant referri ex rationis principiis, difficile hoc videtur. Tentandum vero. Fons reipubl. necessitatibus

taebus inferiens, aerarium sine dubio praecipuus est; respubl. enim principi anteponenda. Sunt itaque reditus e iuribus regiis quae naturam maiestatis constituant primum reipubl. promouendae adhibendi. Ex quo, quis est, qui non intelligat aerario tribuendos esse reditus e iuribus regiis ad naturam maiestatis pertinentibus articulis meque cum republ. coniunctis; ideoque etiam haec pertinere ad oeconomiam publicam. Aerarium enim est, posita pecunia, ut cum schola loquar hypothetica necessarium, Camera vero quoniam in primis in facto consistit, cum suadente prudentia non vero hypothetica, quam dicunt, necessitate introducta sit, nonne consentiente ratione humana etiam iura regia, quae in facto consistunt, et quae accidentalia dicunt, tribuas, nisi in causa, de qua queris Ius publicum ciuitatis aliud quoddam disponat.

Facile inde poteris dijudicare ortam quæstionem de tributis venandi, pescandi, caedendorum lignorum causas in dictis? quo referenda? quid dicendum? Ad Cameram eiusdem iura referas necesse est, quoniam haec iura regia; quæ facto sunt constituta, accidentalia vulgo dicta, ad Cameram non quidem solum approbante ratione, sed etiam plurim rerum publ. usu referuntur. Ceterum in causis dubiis in rebus Camerae aut Oeconomiae publicae dijudicandis primo loco Ius Camerale et Ius publ. de oeconomia publica ciuitatis, deinde ius Camerale et Oeconomiae publicae communis tandem disciplinae nostræ principia valent. Interdum ius commune incidit, si quæstiones ex eo ortae in rebus Cameraibus et Oeconomiae publicae occurrent.

At difficilius est politiae et disciplinae cameralis et oeconomiae publicae fines constituere. Multi quidem politiam ad oeconomiam publicam referunt\*). Diuidunt Oeconomiam in priuatam et

\*). Quorum nomina innuenies in Zinkii *Cameralisten Bibliothek* 1751. 8. Leipzig. 4 Theil. Woellners Unterricht zu einer ausserlesenen oec. Bibliothek. 1764. Berlin 8. 2, Theile. I. H. L. Bergius *Cameralisten Bibliothek*, 1762. 8.

et publicam, illi tribuunt oeconomiam ruris vbisque huic politiam et cameralem disciplinam. At his accedere minime possum, oritur enim exinde principiorum rerumque confuso, atque ea, quae supra attuli commoda plane pereunt. Optime potest res diudicari, si, quae sequuntur, consideras. Politia curat diutias opes et salutem populi internam nulla redditum camarae reique publicae sine medio habita ratione. At Oeconomia publica regulas ponit quomodo in his populi copiis ac diutis possit sors aperiri ex quo hauriuntur redditus. Politia in opibus ciuium, Oeconomia publica in opibus reipublicae versatur. Politia iura regia non curat sine medio, oeconomia publica curat; Politia non curat aerarium, oeconomia publica curat, nec fundamenta ponit aerarii politia, quod est oeconomiae publicae. Politia ciuium curat multitudinem, oeconomia publica illam a Politia expectat, solum quae politiae possint in promouenda ciuium multitudine esse impedimento tollit. Politia negotia oeconomica et vbis et ruris curat, vt promouantur ciuium opes, oeconomia publica impedimenta tantum austert, quae ab ipsa venire possent. Politia a disciplina Camerali differt, quod haec iura regalia utilia, illa ordinem in republica in negotiis oeconomicis et urbanis et rusticis nec non multitudinem ciuium, securitatem et commoditatem publicam curat. Equidem scio etiam Cameralem disciplinam propter ius regium curandi vias publicas etiam securitatem praestare debere, at enim hoc non nisi ex eo, quoniam quasi partes politiae curat, nam si Camera id non curauerit tamen propter redditus ex eo ipsis venientes sane Politia id negotium susciperet; Politiae cura pro securitate latior se exferit, urbium securitatem et pagorum curat, cum Disciplina Cameralis tantum viarum publicarum praestet securitatem. Iam audio alium occidentem mihi, negotia quaedam oeconomica curae Cameræ etiam esse demandata, forestalis scilicet, rei venaticæ pectoriae, aliorumque. Respondeo haec non curare Cameram tamquam negotia priuata oeconomica *Nahrungsgeschäfte*, sed quoniam regalia sunt, quae si non essent, Politia solum relinquenterunt. Deinde in iis causis locisque, vbi regale ius se haud exferit, in ea re Politiae cura non deficit, quin etiam in ipsis causis,

D

fis,

93

sis, vbi e regali iure Camera disponit duplarem curam suscepit, alteram e iure regali descendente, ut principis commoda promoveantur in hac re ipsi redditum cauila commissa, alteram Politiae, quoniam occasione huius juris regalis quocum iure subditorum aut concurrunt aut ita iuncta sunt, ut vix separari absque incommmodo possint, et principis et subditorum commoda promouet. Politia porro curat populi opes diuitiasque non vero principis sine medio. At Cameralis scientia, in his populi opibus copisque fontes prudenter aperire curat redditum in principis utilitatem. Cameralis disciplina curat tributa in principis commodum non neglecta publica salute. Politia tributa si colligit ob instituta publicae salutis cauila facta colligit.

Iam vero ad statisticam s. rerum publicarum notitiam accedo, quae licet non plane cum his disciplinis miscetur, tamen interdum aliquid dubii oriiri videtur. Illae disciplinae regulas continent ad quas et institui et reuocari, si de iis sententia dicenda possint et debeant reipublicae instituta et forma, statistica autem quae hoc tempore respublica vere sit, ostendit, neque sub una altera illarum continetur. His paucis omnia dicta videntur. De politica quid dicam? Saepissime cum politia confundi eam omnia sere de hac re scripta docent. At multum differt. Politica enim in actibus publicis, politia in priuatis versatur; haec intra rem publicam solam se exerit, illa intra et extra eam, in politica princeps cum populo gentibusque rem habet, in politia cum subdito. Possem ulterius progredi, si politicae a statistica ab economia et principis et reipublicae differentiam vellem persequi. At quedam e superioribus patent, plura in futuro de politica et de disciplinis ad rem publicam pertinentibus opere exponam. Iam vero vela contrahenda.

ULB Halle  
002 802 503

3



56.

vol 18 -







5.  
1783, 20.

D E  
FINIBVS DISCIPLINAE CAMERALIS  
OECONOMIAE PUBLICAE,  
POLITIAE,  
POLITICES ET STATISTICAE  
REGVNDIS.

Post.

COMMENTATIO  
Q V A M  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
**CAROLVS GOTTLLOB ROESSIG**

PHILOSOPHIAE DOCTOR, ARTIVM LIBER. MAGISTER

I. V. BACC. ADVOCATVS ELECT. SOCIETATIS LIPSIENSIS OECONOMICAE ET  
APIARIAE LVSATICAE SVPERIORIS MEMBRVM HONORARIVM, NEC NON HASSO  
HOMBVRGICAE PATRIOTICAE CVM REGIA SVECICA QVAE HOLMIAE EST, ET  
BAVARICO PALATINA ELECTORALI BVRGHVSANA MORVM ET OECONOMIAE  
IVNCTAE SOCIVS.

ASSVMTO SOCIO FRATRE  
**FRIDERICO GIDEON IOSVA ROESSIG**  
MERSEBURGENSI  
AD DISCEPTANDVM PROPONIT.

D. XIII. AVG. AN. MDCCCLXXXIII.

EX OFFICINA SOMMERIA.

